

11



P. d. 38  
Cont

Th. hist. R. IV. 150. 762.

201.

26

D. B. 7  
AUSPICIIS RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI  
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI  
DN. FRIDERICI WILHELMI  
PRINCIPIS BORUSSIÆ, ET RELIQUA

ECLOGAS  
ARCHÆOLOGICAS

AD  
DIFFICILE PAULLI ITER

Act. XXVII, c. IX

Kl. Octobris

A. R. G.

∞ MDCCXIII

PRÆSIDE

M. PETRO ADOLPH. BOYSEN

ASHARIA · SAXONE

DISSERENDO EXECUTIET

RESPONDENS

Wolfgang Thien S. Th. Stud

MÆTLITZENSIS · MAGDEB

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ  
Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typ

28.

AUSPICIS RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI  
GEORGII PRINCIPIS ET DOMINI  
DN. FRIDERICI WILHELMI  
PRINCIPIS BORSSE ET RHEVA

ECLOGAS  
ARCHAEOLOGICAS

AD  
DIFFICILE PALLIUM

SAALVAE

M. OGDONIS

M. R. O.

1750

PR. W. S. I. D. E.

M. PETRO ADOLPH. BOYSEN

ASINIA SAXONIA

DISCENDO DISCIT

Stoffen & Th. S. I. D. E.

H. A. S. M. A. S. S. I. C. A. S.  
Typ. CHRISTOPH. ANGER. ZELLER. Acad. Typ.

58



☩☩☩

Lemmata itineris Paulli, Ejusdemque  
difficilis A. & XXVII, v. nomina-  
tim IX.

§. I.



Ultas Paullus, ac peregrinas  
lustravit oras, orbemque vario ac  
multiplici labore peragravit, non  
eo quidem animi proposito, quo  
alii exteros adeunt, ut quicquid  
habeant reconditi remotæ gentes,  
rimentur, ac perquirant, eoque  
doctrinam suam aut amplificent,  
aut obfirmant, ac id genus accessionibus locupletati,  
pariter ac aucti domum revertantur, sed ut promptum  
se exhiberet, ad vitæ mille discrimina adeunda, & pro  
peroranda Servatoris O. M. causâ, vindicandaque Præ-  
potentis Numinis gloria, gravissimos exhauriendos la-  
bores. Nullibi enim constanter perseverans, incredi-  
bili veræ patientiæ exemplo, invictoque mentis, plane  
divinæ, robore, variis Gentibus, diversisque in locis in-  
corruptam de Deo propinabat doctrinam, a corrupte-  
lis repurgabat, ac nunc publice, nunc privatim, prout  
A 2 res

res ferebat, variis de sacris rebus dicebat, prompte ac disputabat. Non attinet, singularia hæc, & ad posteritatem propaganda pietatis Paullinæ monumenta copiosius excutere, quam Provinciam ab aliis jam occupatam, nec sine laude meminimus exornatam. Quæ enim præter Historiæ Ecclesiasticæ scriptores Patrum memoria *Ge. Major*, *Balth. Crusius*, *Latius*, *Her. Roswey-dus*, ex recentioribus *Laid. Capellus*, *Jo. Pearsonus*, *Gu. Caveus*, *El. L. Du Pinus*, *Ch. Cellarius*, & *Managers*, alique, a *Labbeo*, *A. Tesserio*, *Lippenio* *Bibl. Theol. Jo. Ge. Pritio* *Intr. ad N.T. Cel. Fabricio* *Bibl. Gr. L. IV, c. V p. CLI & V. Cl. Jo. Christ. Wolfio* in *Not. ad Casauboniana* p. CCCXVIII laudati, in litteras retulerunt, ita comparata sunt, ut abunde otium nobis faciant, ac exquisitam tum vitæ Paulli, tum etiam peregrinationum ab Eo susceptarum declarationem in se complectantur. Nos tantum difficili illi, periculique plenissimo itineri, cui se tempore, minus ad navigandum idoneo, committi, graviter, & experimentis multis commonitus, sed frustra Paulus querebatur, quodque divinus scriptor, *Lucas* c. XXVII seqq. Act. distincte explicat, lucem ex illis litteris, quas ab antiquitate, & humanitate consuevimus appellare, affundemus, c. inprimis IX, quod difficultate quadam laborare, nonnullis videbatur, præfidiis Archæologicis muniti, excutiemus, æque ac, Deo bene juvante, dabimus expeditum.

## § II.

Priusquam vero ad singula hujus itineris momenta descendamus, operæ pretium fuerit, de occasione peregrinationis pauca monuisse. Cum ad huc, infauso mentis errore abreptus, persequendos censeret Paulus

Paulus Apostolorum mores, quos patriis, legique, a Mose profectæ, superstructis anteferre, iniquum putabat, acceptus valde Judæis, ipsisque Sacrorum Antiftitibus gratus erat, at ubi, commutata rerum facie, emendataque divinis auspiciis mente, veritatem celestem & amplecti, & propagare nitebatur, non poterat non omnium indignationi sese propinare, qui quidvis potius experiri, quam vel præjudicatas exuere opiniones, vel salutem, toties oblatam, & tam dextre explicatam amplecti malebant. Quorum mores quamvis exploratos haberet, singulari tamen germanæ patientiæ argumento, comprobabat egregiam animi mansuetudinem, & incredibile illud studium, quo nunquam recusavit, gravissimas subire pœnas, quas tum Judæi, tum alii, malevolentia suffusi, interminabantur. In primis effrænata illam Senatus Hierosolymitani petulantia fuerat expertus, cum nunc infontem carceri manciparent, nunc alapis corrigendum judicarent, aliaque agerent, quibus se effecturos, credebant, ut inhiberetur disciplinæ diviniore propagatio, quæ adhuc maximo relligionis Judaicæ detrimento invaluerat.

## §. III.

Animo ista, menteque jam pridem habebat informata divus Gentium Doctor, & tot periculis, vitæque discriminibus, jam exantlatis, superatisque, efficaciter comonitus, non aliâ, quam calamitates poterat Hierosolymis expectare. Neque tamen vel precibus suorum, vel vaticinio *Agabi* Act. c. XXI flecti poterat, quo minus iter quinta denuo vice (\*) Hierosolyma faceret. Quam urbem cum accessisset, mox agnitus a Judæis, immanique furore comprehensus, ipsi morti de-

stinabatur, nisi cohortis, quæ Civitati in præsiidiis erat collocata, Præfectus, negotio intercessisset, Paullumque, nil tale moribus suis promeritum, furori eripuisset Judæorum. Hic, cum apud populum nihil efficere posset, Cæsaream (\*) armata manu deferendum curabat, ut ibi Felici, Judææ Procuratori, (\*\*) fisteretur Act. c. XXI sqq. a quo etiam, *jus regium servili ingenio per omnem severitiam ac libidinem exercente*, Auctore Tacito L. V. Histor. p. CCLXXXVI. ed. J. Lipsii, quamvis causam suam adversus Tertulli criminationes perorasset, easdemque egregie repulisset Orator divinus, & dignitatis plenus Act. XXIV, per integrum tamen biennium v. XXIIIX (†) captivus detentus, Portio tandem Festo, quem in regimine successorem nactus erat, tradebatur. Festus, vel precibus Judæorum delinitus, vel auram vulgi captaturus, Hierosolymam, Genti Judaicæ caput, Paullum missurus, & arbitrio Synedrii erat relicturus, nisi Romanum Civem se professus esset, declarataque gravissimo sermone, coram Agrippa, Berenice, (††) virisque aliis, in dignitate constitutis, innocentia sua Act. c. XXVI. id impetrasset, ut Romæ coram Cæsaris judicio, controversia, a Judæis mota, dirimi, componique posset, quam finire, non amplius Festo licebat, ubi ad Cæsarem appellaverat Paullus, Cui tota propterea causæ cognitio ita erat reservanda, ut nec absolvere, nec damnare reum Procurator posset, quamvis vere, & ad Leges Romanas convenienter elocutus sit Agrippa c. XXVI. c. XXXII. ὅτι ἔδδεν θανάτου ἀξίον, ἢ δασμῶν πλείσσει ὁ ἀνδραγωγὸς ἕτος.

(\*) Itinera Paulli, quæ post conversionem Hierosolymam fecit, reliquis Ejus peregrinationibus facem præ-



AD DIFFICILE PAULLI ITER.

præferunt. Primum memoratur Gal. I, 18. Act. IX, 26. Secundum indicatur Act. XI, 25 commilitone, socioque *Barnaba* confectum. Tertia profectio post quatuor & decem demum annos instituta, significatur Gal. II, 1 coll. cum Act. XV, 2. Quartæ non obscura mentio fit Act. XVIII, 21, 22. Epheso enim Cæsaream delatus, Hierosolymam petiit, id quod vel sola *ἀναβαίνεν* vox indicat. Quinta denique in c. XX Act. & seqq. a *Luca*, perpetuo ac individuo Paulli in hoc itinere comite, copiose, & curate exponitur, conf. *Henr. Valesium* in not. ad Eusebii H.E.L. II, c. III. & *Frid. Spanhemium F. F.* in H.E. Sec. I. T. I. Op. p. 535. qui tamen quartæ illius non meminerunt, nec non meliores Interpretes ad Act. XVIII, 21. Quamvis de annis tum C. N. tum U. C., in quos incidant illa itinera, res obscurior sit, & a diversis diversimode definita, prouti scilicet singuli receptæ suæ opinioni infervire viderent, cum primis controversia de annis XIV Gal. loc. excitato memoratis, inter Pearsonium, Dodwellum, Usserium denique & Spanhemium in disp. de *Aera Convers. Paullinæ* doctè est disceptata. Verum merito Grotii conjectura, pro *δ* legentis *δ* tum temporum ordinem turbat, tum nullo Codice probato se tuetur, quam tamen Lud. Capello in *Histor. Apostol. Append. Charact. IV* sese approbasse video. Conf. si placuerit, Jo. Pearsonii *Annales Paullinos*, librum, doctè, & eleganter scriptum, & hic nuper seorsim auspiciis Dn. Prof. Michaelis, Patroni, Præceptorisque maximopere honorandi, recusum, & b. Cellarium in *Amœnitat. Itin. Paulli §. VIII.*

(\*\*) Variæ apud veteres *Γαργαριῆς ἰΦυγίσεως* scriptores occurrunt urbes, Cæsareæ nomine insignitæ. Quæ

Quæ hic memoratur, ante Turris Sratonis, postea καὶ σαρεία appellata, sita erat non in Syria, uti H. Hammondus in not. ad Math. XVI, notatus propterea a Jo. Clerico, sed Palæstina, urbs maritima Galileæ Inferioris, ab Herode in honorem Augusti exstructa, & a Vespasiano tandem, propter navatam adversus Judæos operam, civitate Romana donata, *Caput Judææ*, Auctore Tacito L. II. Histor. Post eversam Hierosolimam primaria urbs Diocesis Orientalis extitit, probe sejungenda a Cæsarea Paneados, Cæsarea Philippi, & aliis. conf. *Stephanus de urbibus*, *Josephus* L. XIII, c. 19 & L. XX, c. 6. & 8. *Cellararius*, ὁ πᾶσι Geogr. Antiq. *Spanhemius* Geogr. Sac. T. I, Op. p. LXXIX, *Witsius* Miscell. Sacr. T. II, Exerc. XII. p. 342. Edit. Herbor. & Interpretes ad Matth. XVI, 13.

(\*\*) Antonium Felicem Tacitus l. c., Claudium *Josephus* L. XX A. J. c. 5. & *Suidas* in voce Φῆλιξ nominant, quæ sententiarum differentia facile componitur, si memineras, binomines fuisse Romanos. Illudque Antonii nomen non dubium est, quin ab Antonia, cujus libertus erat, hoc vero a Claudio Imper. tulerit. *Comp. Car. Sigonius de Nomin. Roman.* T. II. *Thefauri Græviani* Antiqv. Rom. p. 1952 sqq. & *J. Lipsius* in doctiff. ad Tacitū notis p. 138. Trium Reginarum maritus a *Tranquillo* appellatur in Claudio c. XXVIII. quod alii ad vagas libidines referunt, alii rectius, ni fallor, de tribus uxoribus, Regia stirpe oriundis, & diversis temporibus Felici junctis, exponunt. *Drusillam*, Antonii & *Cleopatraz* Neptem in matrimonium accepisse Felicem, testatur Tacitus l. all. a qua sejungenda omnino videtur *Drusilla*, *Agrippæ* soror, quam uxorem Felicis commemorant *Josephus* L. XX. Antiqv. c. 5. & *Lucas* in Act. XXIV, c. 24. Quomodo enim illa Cleo-

Cleopatrarum & Antonii Neptis esse potuit? cum legitimis constet monumentis, natam fuisse matre Cypro, Phafeli filia, Agrippæ M. Coniuge. Contrarium tamen placet Grotio, & qui eum sequitur, H. Hammond in not. ad h. Lucæ loc. quibuscum vero componi debent, quæ *Jf. Casaubonus* in *Animadvers.* ad *Tranquilli* l. c. p. 465 ed. *Boecler.* & *H. Vitellius* T. II *Miscell.* S. p. 329. in præsidium nostrum monuere. Collocata initio fuerat a fratre Azizo, Emissenorum Regi, e cuius tamen lecto Drusillam, usus magica Simonis, non Samaritani illius, de quo *Hist. Eccles. Scriptores*, sed Cyprii, (quamvis *Steph. le Moyne* & *Sam. Basnagius* in *Exercit.* *Anti Bar.* ad A. C. XXXV utrumque pro uno habeant, non *Kirriæa*, sed *Kirriæa* in *Veteribus* legentes, ap. *Collectores* A. E. 1692. p. 163. & *Jo. Mollerum* in *Homonymosc.* p. 204.) arte, elicit Felix, qui cum & alia malefacta sibi, potentia fratris *Pallantis* apud *Cæsarem* subnixo, impune crederet, juxta *Tacitum* *Annal.* L. XII, p. m. 122. causâ appareat, cur de *justitia*, & *castitate* potissimum, ubi loquendi facultatem faciebat Felix, disputaverit disertissimum *Paulli* os, *Act.* c. XXIV. Neque enim de ullo alio argumento aptiore, aut magis idoneo coram *EO* agere poterat, cum ipse etiam eventus docuerit, vera esse, quæ *Juvenalis* admodum eleganter de *judicibus*, quos neglectarum virtutum reos conscientia arguit, *Sat.* XIII. complexus est:

- - - *Hos diri conscia facti*  
*Mens habet attonitos, & surdo verberæ cædit*  
*Occultum quatiente animo terrore flagellum.*

(+) Fallit, illustri *Annalium* *Conditor*, *Baronius* alios, imo & Ipse fallitur, quando *dictâ* illam ad tempus,

B

ex

ex quo Felix a Nerone Judææ impositus est, refert contra manifestas temporis rationes, nec ipsi Pagio præteritas. Ut taceam, post damnatum Cumanum Claudium Felici Judæam tradidisse regendam, ut docent *Tacitus*, & *Josephus* diserte ll. cc. nec ratio apparet, cur, si ea mens Lucæ fuisset, annos *Ἐπιτροπίας* Felicianæ ab annis Neronis, quam Claudii repetere maluerit. Potius ad duos annos hic respicitur, quos Paullus in carcere egerat, ut *διετίας πληρωθείσης* nihil sit aliud, quam, completo integro captivitatis Paullinæ biennio. vid. præter Grotium & Hamonondum in h. l. V. Cl. Jo. Christ. *Wolffius* in disp. de *Carcere Exuditorum Museo* p. 38.

(††) *Βερνίκη*, Codd. alii *Βερρονίη*, vel, mutato gentium usu *β* in *φ*, *Φερρονίη*, Agrippæ M. filia, vidua Herodis, Chalcidis Regis, post mortem mariti, juxta ac patrui, in aula fratris enutrita, & cum ipso Romam profecta, in Palatio habitavit. Cujus pulchritudine, qua valuisse dicitur, ita captus est Titus, ut non obscure spem nuptiarum faceret. At cum incestus cum fratre esset suspecta, & S. P. Q. R. nimiam illam Titi cum Beronice familiaritatem ægre ferret, dimissa, in Judæam remeavit. Notat illos illicitos cum fratre amores, satyrique Satyrico adspersit *Juvenalis* Sat. VI. ut bene monet *Jo. Braunius* de Vestitu Sacerd. Hebr. L. I, c. III, §. II. Ceterum conf. de illa *Dio Cassius* L. LXVI, H. R. *Tranquillus* in Tito c. VII. *Sam. Pitscus*, & *J. Casaubonus* in not. ad *Tranqu. Lud. Capellus* in Annot. ad Act. c. XXV. *Wittsius* l. c. p. 335 & *Jo. Jac. Schudtius* in Comp. Hist. Jud. p. 411 sq. Ex quibus patet, ne minimam quidem veri speciem habere sententiam, quam nonnulli cum Nic. Zegero in *Bibl. Crit.* T. IV p. 2424 proponunt, quando

quando Virum fuisse Beronicen existimant. Ipse Lucas aliud docere poterat, qui τὴν Βερονίαν vocat, nec obstat, quod in confessum virorum introiisse dicatur, sitim enim, audiendi Paullum, verba facientem, commodius restringere non poterat. Imo invaluit post Tiberii tempora contra veterem consuetudinem, qua Cæcina censuit, *ne quem Magistratum, cui Provincia obvenisset, uxor comitaretur* juxta Tacitum L. III, c. 33 temporum licentia, imo ipsius Augusti exemplo, qui Liviam suam semper habebat comitem, ut se cum abducerent uxores Procuratores, Earumque interdum uterentur consilio, quod vel ex uno Pilati exemplo Math. XXVII, v. 19. constat, quidni ergo eundem honorem Beronicæ hospiti Festus haberet? vid. *Svetonius* in Augusto c. XXIV, & *Interpres* Ejus, nec non *Edm. Mevillus* in not. Philol. ad Matth. l. al. quæ extant T. III. Opusculorum, *Cl. Crenii* cura excusorum. Diversa a nostra illa Beronice, cujus mentionem faciunt *Plinius* L. VII, c. 41. *Valerius* L. IX, c. 10. §. 1. Extern. p. m. 799.

(†††) Respicit Agrippas leges Romanas, quæ eæ tate nullum contra Christianos supplicium definiverant. At legibus silentibus, secundum edicta Imperatorum puniri non poterant. conf. Act. c. XVIII. exempli Gallionis. Tiberius favisse Christianis, dicitur *Tertulliano* Apolog. c. V. nec *Claudius* Christianos odio habuisse, ullibi legitur, nisi dixeris, *Claudium* simul Christianos Urbe expulisse, ubi contra Judæos, Autore *Chresto* tumultuantes ap. *Tranquillum* c. XXV. legem ferebat. Ea scilicet Judæi, causa Christi inter se non absque acri animorum motu, magna que contentione disidentes, Roma exire jubebantur. Nisi malis, cum nonnullis asserere, Chrestum

stum Svetonii non eundem cum Servatore nostro, sed forsan Judæum fuisse, his enim familiare illud Chresti nomen esse, docent *Marmora*. Alias contra receptam de loco Tranquilli sententiam rationes affert, excutitq; post Virum illustrem *Jac. Usserium*, Armachanum, *Ant. var Dale* in disput. *de Statua Simoni Mago Romæ erecta*, quæ Ejusdem commentario de *Oraculis Veterum Ethnicorum* subjuncta est, quas tamen sub examen revocare, nostri jam non est instituti. Quamvis vero insignis ille error, & παραχρησµος a Tranquillo commissus, statim appareat, imo & id verum sit, Paulo Romæ licuisse, libere vias Domini explanare Act. XXVIII, 23 & 30 seq. negari tamen non debet, Christianos etiam Judæorum nomine fuisse tractos, discrimine nondum inter utrosque constituto. ita quidem, ut Aquila, & Priscilla, jam doctrina Christi innutriti, ex urbe etiam pulsi fuerint Act. XVIII, 2. Nero potius *execrabilis ac nocens Tyrannus*, primus omnium persecutus est Dei servos, ut graviter queritur Lactantius de Mor. Persec. c. 2, sed hæc ante contigerunt, quam furor Neronis in Christianos sæviit, effususque est. Hinc ex legibus Romanis Paullus judicari non poterat, cum nihil fecisset, quod edictis Imperatorum adversaretur. Propterea tanta παρησια ad L. Rom. provocat Paullus, ex quibus judicari petit Act. XXV, v. 8 II. uti securitati suæ consulere, quam etiam Romæ, procul a rabie Judæorum, iram Præsidis concitantium, promittere sibi poterat, æque ac expectare.

§. IV.

Proinde Festus de Consilii sententia, secundum quam Præsides pronunciare debebant, (\*) adhibito etiam in consilium Agrippa, statuebat, ut navi in Itali-

am

am deferretur Paullus, custodiae, fideique Centurionis, qui Cohorti ex Augusta Legione (\*\*\*) praeerat, commissus. Ubi per commodum accidebat, ut navis, Adramyttio, maritima Mysiae urbe, oriunda, Caesareae in ancoris teneretur, quae Asiae loca sublectura, domumque ita erat reditura. (\*\*\*) Qua conscensa Sidona primo loco, vicum, a Caesarea non procul sejunctum, deinde, inflexo paullisper itinere, Cyprum transvectus, cursu per mare, Ciliciam & Pamphylia quod ambit, directo Myriam, Lyciae urbem, appulit. Ibi in navim Alexandrinam, (†) quae trumentum, aliasque merces Persicas, & Indicas Romam erat advectura, iudicio Julii ascendebat. Sed cum partim nautae moras neccerent, partim iter ob nimium onus lente procederet, partim etiam ventus resisteret, quo minus cursum circa eam Cretae partem, in qua Salmonium sita erat, citius conficeretur, in id tempus incidebat navigatio, quo grave caelum, subito exorti turbines, imbres frequentes, frigusque, iter periculis exponerent, & manifestum tum navis, tum vitae, tum bonorum, impedimentorumque discrimen subeundum esse, minarentur. Quae futura mala praesagebat animus Paulli, eaque tum in primis divino nuntio, instinctuque, tum longo rerum usu edoctus, ac ex Graecorum litteris, in quibus non mediocriter erat versatus, & Gentis consuetudine explorata habebat, dum norat, quantis procellis mare tum jactari soleat, cum jejunium praeteriisset. Quamvis vero ea omnia Centurioni in memoriam revocaret, nihil tamen his monitis saluberrimis eum effecisse videas, cum Gubernator & Nauclerus (††) contra niterentur, quorum verbis majorem fidem Julius adhibebat, quam Paulli, ejus consilium non nisi animo a-

micisimo prolarum, itaque comparatum erat, ut hoc ipso infecuta mala antevertere potuisset.

(\*) Id ita legibus Romanis erat cautum, quam confvetudinem Pila'o, Fefto, aliisque Judææ præfidibus meminimus observatam. Illum confiliariorum cœtum, qui Judicibus adfitebant, *Cicero Verr. VII, c. XXI. Confilium*, Græci συμβέλιον vocant. vid. *Suidas*, & quæ ad Matth. c. XXVII, 19. Interpretes, nominatim *Grotius*.

(\*\*) σπείρα, πλήθος, στρατεύμα, τάξις στρατιωτικῆ, Φάλαγγ, τάγματα. Ita *Suidas*, *Hesychius*, *Phavorinus* in Gloss. nec abludit *Pollux Onomast.* *Aristophanes* eo sensu passim, ita etiam *Lucas* alibi, Act. XXI. & *Joannes* c. XII. *Hist. Evang.* σεβαστήν σπείραν illam ideo vocat *Lucas*, quod cohors fuerit ex legione *Augusta*, vel, ut significantius loquamur, *Legio* ea *Augusti Imp.* nomen prætulit. *Prima* ea *legio* occurrit in ordine, qui ex *Marmore antiquo*, *Romæ* effosso, ibidemque in *Capitolio* conspicuo, recensetur apud *Lipsium* in not. ad L. II. *Hist. Taciti* p. 16. Cui jungendus est *Dio LV. Hist.* *Legionem Italicam* supra c. X, l. a *Luca* commemoratam, XV ordine inter milites *Augusti* fuisse, idem *vetus lapis* docet. *Nugas Zegeri* in not. ad h. l. parum moramur, nec *variæ illæ conjecturæ*, quas *Cornel. a Lapide* vel ipse effinxit, vel ex aliorum mente protulit, scopum feriunt, aut mentem veterum assequuntur.

(\*\*\*) Ἀδραμόντιον, Auctore *Stephano*, *Mysia* urbs κατὰ καινόν. Vox *Punica*, propter ambiguum sonum litterarum η & ς in varias figuras transformata, quas vide ap. *Plinium* L. VI, c. XXXIV, *Drusium* in not. ad *Aetor.* c. XXVII, 1. & *Sam. Bochartum*, in, diffusissimæ doctrinæ opere, *Geograph. Sac. P. I, l. II, c. XVII.* חַמַּת חַמַּת i. e. *atri-*



*um mortis* Hebraice appellatur, cujus denominationis rationes docte expendit ὁ πολυμαθέστατος *Bochartus* l.c.p. 115 sq. Plures sunt urbes hoc nomine celebres, in primis Africa quædam urbs, mari adjacens, eademque ad mercaturam faciendam percommoda, quam hic intelligi, post *Hicronymum* vult *Grotius*. At melius forsan cum *Th. Beza*, *Henr. Hammond*, & *Jo. Clerico* statuetur, Mysiæ urbem indicari. Navi certe Cæsareâ Adramyttium hanc, uti videtur, redeunti, sublegenda erant Asiæ loca, litto-  
 raque, quod Centurionem voluisse, tradit Lucas v. 2. Neque Romam tendebat, sed domum erat reverfurum *πλοῖον ἑδραμοῦστηνόν*. Hanc enim itineris viam sibi proposuisse videtur Centurio, ut ex Asia partibus in Thraciam, aut Macedoniam trajiceret, cum trajetus brevis esset, & frequentes occurrerent naves, ex Asia in Europam trajicientes. Ex Macedonia autem itinere terrestri iturus erat in Epirum, deinde ex Epiro trajecturus in Italiam. ut non immerito conjectatus est V. Cl. *Jo. Clericus*, in notis, quibus Hammondianas in N. T. observationes vel auxit, vel emendavit T. I, p. 370. Id certum est, quod in tam ingenti ventorum varietate tutius iter Centurio facere non potuerit. Quid? quod vel eo nomine Aristarchus se itineris comitem præbuisse videatur, ut oblata hac commoda occasione patriam inviseret, domumque rediret, quam, Paullum dum sequebatur, tantisper deseruerat Act. XIX, 29 coll. Act. XX, 4. quamvis sine isto, quem intendisse videtur, Aristarchus exciderit, juxta cum Paulo Romam delatus, Ejusdemque ibi tum *συνεργός*, Philem. c. 24. tum *συναρχηγός*. Col. IV, 10. Minus recte, & contra Codd. fidem quidam pro Adramyttiam *Rumentiam* legunt, indeque frivolo ausu navem  
 Ro-

Romam tendentem exsculpunt apud Corneium a Lapide in Comment. ad h. l.

(†) Videtur utique, adversam venti vim hoc navigium Alexandrinum subiisse, & commotiore, vehementique Austro invitam, & nequicquam reluctantem, in Lyciam fuisse delatam, inde in Italiam perrecturam. Oculis enim in tabulas conjicienti, manifestum fit, non Lyciam tangere solere cursu ordinario naves, Ægyptias, Italiæ ora appulsuras. Commoda hac oblata occasione uti voluit Centurio, quare consilium prius, antea nobis memoratum, mutasse videtur, partim ut sumptibus parceret, partim ut citius iter cursu nautico conficeret, quod difficilius, nec nisi lento itinere pedestri, terrestrique erat continuandum.

(††) *Ναυκλήρ* & *Κοβερνήτης* diversa uterque in navibus veterum officia exequabantur. Ille alio nomine *πρωρεύς* aut *πρωράτης*, Ciceroni *Navicularius*, *Navicularior* appellari consuevit, hic vulgo *πρυμνήτης* audit. Sicuti enim prior illæ proræ asfidere, ventos captare, scopulosque latentes explorare debebat, ita hujus cura in eo versabatur, ut ad puppim sedens, cursum dirigeret, & adnutum τῆ *Ναυκλήρος* clavum torqueret. Ita enim utrumque a se invicem distinguunt *Ξενοφών* *ἀναβάσ. κοβ.* L. V. *Plautus* *Rudent.* Act. IV, Sc. III. alii, quorū loca laudat *Er. Schmidius* ad *Pindari* π. θ. Δ. p. 179. Quod discrimen quin in animo habuerit Lucas, non est, cur dubites, quicquid contra *Nic. Zegerus* vel memoriæ lapsu, vel inscitia consuetudinis Veterum effusiat, cum ceteroquin a vitio illo sermonis, quod *Pleonasmum*, otiosum scilicet & superfluum, vocamus, Lucas liberari non possit. Sed salva res est. patuit differentia utriusque, & clarius

clarius elucefcet, fi *Aristophanem* audiamus in *Equitibus*,  
cujus locum vel propterea excitasse juvat, ut simul di-  
gnitas unius præ altero confitet. Ita autem ille:

Ἐρέτην χεῖρᾶν πρῶτον γενέσθαι, περὶν πηδαλίοις ἐπιχειρεῖν  
Κατ' ἐντέθειν πρᾶγατεῦσαι, καὶ τὸς ἀνέμους διαθρῆσαι  
Κάτα κυβερνᾶν ἑαυτῷ αὐτόν.

Latine ita converto:

*Remigem prius oportet esse aliquem, quam clavum in  
puppe teneat,*

*Ac postea Proretam demum agere, & ventos observare  
Ac tandem se ipsum illum gubernare oportet.*

Quæ eadem sunt cum illis, a Grotio in Excerpt. seu in-  
certi Auctoris, exhibitis:

Ἐρέτην δὲ πρῶτα γενέσθαι,  
Πρὸ πηδαλίοις ἐπιχειρεῖν.

Lex hæc Nautica fuisse videtur, futuro gubernatori remos  
primo tradere, postea τὸ πηδάλιον committere, & tandem  
post diuturnam ventorum observationem eundem ad gu-  
bernaculum constituere. Respexit ad hunc νηίτην νόμον, &  
forfan Aristophanis locum in animo habuit, uti non  
præter rem suspicatur *Th. Gatakerus* in Advers. Miscell.  
Posth. c. IX p. 498 ed. Op. Lugd. Gregorius Nazianze-  
nus in elegantissimo fermone de Basilio p. m. 335, Νό-  
μου, inquit, νηίτης τὴν κώπην πρῶτον ἐγχειρήσας τῷ νῦν  
κυβερνήτῃ, κακῶσιν ἐπὶ τὴν πρῶραν ἀγαγὼν, καὶ πιστεύσας τὸ  
ἐμπροσθεν, ἕτως ἐπὶ τῶν διάντων καθίξει, μετὰ τὴν πολλὴν τυφ-  
θεῖσαν θάλασσαν, καὶ τὴν τῶν ἀνέμων διάσκειψιν. i. e. Lex nau-  
tica primum remos tradit illi, qui Gubernator aliquan-  
do futurus est, deinde ad proram constituit, sicque pri-  
oribus muneribus ipsi commisis, tandem post lon-  
gam remigationem, ac ventorum observationem ad  
gubernacula collocat.

C

§. V.

Iter vero vel eo nomine periculofum fore, ex-  
 ſpectatione præcipiebat Paullus: διὸ καὶ τὴν Νησεῖαν ἤδη  
 παρεληλυθέναι. Quorum verborum ſenſum ut recte  
 aſſequamur, duo nobis perpendenda, & debito exami-  
 ni ſubmittenda eſſe videntur. Initio indagari debet,  
 quodnam hic a Luca ſignificetur jejunium? & ſecundo  
 loco gravibus locupletiffimorum teſtium ſuffragiis de-  
 clarari debet, poſt Νησεῖαν, Lucæ memoratam, maximis  
 periculis navigationem fuiſſe obnoxiam. Ante vero  
 quam id agamus, operæ pretium non contemnendum  
 fuerit, varias hujus loci lectiones explanare, brevibus-  
 que diſpicere, an locum habere poſſint. Ubi quidem  
 cauſam habemus nullam, cur in gratiam nonnullorum,  
 minus dextre locum hunc explicantium, germanam,  
 prouti in exemplis impreſſis comparet, lectionem ſol-  
 licitare, aut vellicare velimus. In primis ubi Cl. V. *Jo-*  
*Millius* in exquisita ſua, multoque variarum lectionum  
 apparatu inſtructa, Novi Fœderis editione, quam arti-  
 ſice manu ſua, celebris inter Batavos ſcriptor, Lud. Ku-  
 ſterus perpolivit, nullam attulit, quæ vel pro-  
 batorum Codd. auctoritate nitatur, vel etiam men-  
 tem divini ſcriptoris adſequatur, nec potius obſcure ex-  
 ſcriptoris vel imperitiam arguat, vel feſtinationem.  
 Ita, Vir alioqui non contemnendus, Seb. Caſtello me-  
 nte Lucæ proſus excidit, quando, nullo præeunte Co-  
 dice, nec ſine aliquo temeritatis ſenſu in annotatis ad  
 h. l. *Νημεῖαν* loco *Νησεῖας* legit, dignamque lectione ſua  
 explicationem hanc affert: *quandoquidem jam tranquillitas præteriiit.* Dignum, fateor, patella operculum,  
 Sive enim tempus tranquillæ maris jam præteriiſſe, hac  
 ſua

sua explicatione contendat, siue silentium ventorum, quæ germana vocis *νηπιέας* significatio est, intellexerit, neutra recte procedere videtur. Ita Paullus, novus Vates, ex silentio ventorum imminentem tempestatem auguratur? ex quo potius perpetuitatem felicitatis navigationis colligere poterat. Nec nautæ hactenus in illo a Cæsarea ad Lyciam navigatione secundo vento fuerant usi. Imo tranquilli maris tempus jam præterierat, ubi Cæsarea solvebat Centurio, neque tamen legimus, Paullum Centurionem admonuisse, ne se Oceano committeret ob *νηπιέαν*, jam elapsam. Quos præterea nodos sibi in consueta, receptaque *νηπιέας* lectione reperisse visus est, tanti non sunt, ut vadimonium propterea sit deserendum. *Inedia*, inquit, *quid ad difficultatem navigationis facit?* At meminisse debebat, non *ἀσπίαν* nautarum, Paullique sociorum hic indicari, cum annona charitate in amplissimo comæatu, quem Insula suppeditare largiter poterant, quoque ipsa navis onusta fuisse videtur, non laboraverint, sed publicum quoddam, communeque jejunii festum in memoriam revocari, notabili *ἦς* *νηπιέας* voce insignitum, eamque non ceu causam physicam, quæ aliunde repeti debebat, allegari, sed tantum illum temporis articulum significari, circa quem vel instructissimæ naves frangi, elidique facile a tempestatibus soleant. Quæ cum ita se habeant, facile etiam apparet, quo loco habenda sit interpretatio Nic. Lyrani, & qui eum sequuntur, qua Paullus admonere dicitur nautas, ne amplius recusarent *ob marem*, *cibum assumere*, aut *inedia corpus affigerent*, *sed comæatu vescerent*. Quæ sententia auctori suo merito relinquatur, cum idoneis rationum argumentis non sit super-

structa, nec lucem, sed meram caliginem, tenebras  
que loco nostro offundat.

## §. VI.

Lectioe ita vera constituta, nobilis suboritur di-  
sceptatio, quodnam jejunium hic a Luca significetur?  
Res in diversum disputata, suos utrinque nacta est pa-  
tronos, quorum argumenta ita excutiemus, ut simul  
verioremem uberius declarem sententiam. Ubi illud  
ante omnia, quod & antea attigimus, præstrui debet,  
non privatum nautarum, & Pauli sociorum, sed pu-  
blicum integræ gentis intelligi jejunium: de quo quam-  
vis inter plerosq; conveniat, ibi tamen in duas abire sen-  
tentias videas Interpretes, ubi imprimis jejunium gen-  
tis cujusdam erat explicandum. aliis pro Judaico, aliis  
pro Græcorum, & nominatim Attico pugnantibus jeju-  
nio. Ita apud Judæos varia utique fuerunt jejunia, nec  
gens ulla tantum corporis afflictionibus tribuebat. a  
qua reliquas gentes jejunandi consuetudinem mutuo  
accepisse, vero sit simile, quippe gentilium quoque a-  
nimos opinionem, jejunii iratum placandi Numerus,  
occupasse, Auctores gravissimi in litteras retulerunt.  
Illa vero Judæorum jejunia non unius generis, sed vel  
scata, & partim legibus divinis sancta, partim consuetudine  
introducenda, vel extraordinaria, & semel tantum certam ob  
causam indicta, eaque rursus, vel publica, *תענית הציבור*  
vel privata *תענית היחיד*, idque tum, ut imminentes a  
se averterent pœnas Joel. II, 12. Jon. III, 7. II. Sam. XII,  
16. tum ut specie pietatis disciplinæ ludibrium prove-  
herent, & animi nequitiam fraudis dissimulatione tege-  
rent, quale a Jesabella, levis, pravique animi Regina,  
doli.

dolique mali plenissima imperatum legitur 1. Reg. XXI, 9. Ejusdem mentis σοφιστής ille ἀπαίστων, & διδάσκαλος πα-  
 νῆρος, qui διὰ τὴ σαββάτῃ jejunabat, suspectus a Servato-  
 re redditur, juxta ac convincitur Luc. XVIII, 12. Illa  
 denuo varia erant, communi תענית nomine, hausta  
 voce ex Levit. XVI, 29, omnia insignita, quorum re-  
 censionem, idoneam fatis, justamque Vir, in litteris  
 ab Oriente ad nos profectis, egregie versatus, Adr. Re-  
 landus P. IV. c. ult. Antiquit. Sacr. alii plures, & ex  
 parte Lyranus, loco supra allegato, suppeditant. Inpri-  
 mis illustre erat jejunium, quod in tertium & decimum  
 diem Mensis Adar, qui nostro Februario respondet, inci-  
 dit, quod ipsum Purim festum antecedere solebat.  
 Similiter תענית נפש מן פירות viri stationis, qui sacris operaban-  
 tur, IV. hebdomadis suæ dies jejunio absumebant, de  
 utroque Thalmudici scriptores, rerumque Hebraica-  
 rum interpretes, quorum magna fatis multitudo, copi-  
 ose exponunt. At omnium nobilissimum, multorum-  
 que calamis, & commentationibus celebratum est jeju-  
 nium illud, quo Judæi יום הכיפורים ביום die Expiationis,  
 ad mandatum supremi Numinis Levit. XVI, 29. & xxii, 27.  
 Num. xxix, 7. corpus affligere, fameq; macerare consue-  
 verunt. X die mensis Sacri Thisri, quem primum esse in an-  
 no Civili, & septimum in anno sacro, tract. ראש השנה  
 docet, peragendum erat, qui mensis si ad nostram com-  
 putandi rationem, mensiumque ordinem receptum, ex-  
 zigatur, nunc Septembri, nunc Octobri respondet. A VII  
 Septembr. exorditur mensem Tisri, annumque Judæ-  
 orum H. Hammondus, T. I. p. CCCLXX Annot. in N.  
 T. Jos. Scaliger, ὀκταύ, in Prolegom. ad Eusebii Chro-  
 nicon diem X Tisri, cum XX Septembris nostratis

congruere, confirmat, alii alium substituunt diem, nec certi quid hic poni potest, aut determinatus definiri dies, cum enim menses Lunares habeant Judæi, ratio facile apparet, cur subinde variant, sicuti, teste Cel. *Fabricio*, in Menologio p. XVIII primus Tisri dies in Kl. Octobris anni præteriti, hoc autem anno in diem nostri Septembris XXI incidit. Maxima cura celebritatem hujus jejunii Judæi confecerunt, unde etiam יום צום צום, *jejunium magnum*, illum ἑξιασμός diem vocabant. יום צום צום dies jejunii, *Jeremie* memoratus c. XXXVI, 6 idem est, de quo loquimur, expiationis dies, & quod conjunctum erat, jejunium magnum. quod idem & intellexit *Jesaias* c. LVIII. Græcis Νηστεία appellatur, ita voce passim occurrente apud *Josephum*, *Philonem*, ipsum *Lucam nostrum*. Alio nomine solemne illud, atque anniversarium *jejunium*, de quo verba fecimus, *Sabbaticum* audire solebat, quando quidem expresse שבת שבתון כפור Sabbathum quietis *Levit. XVI, 31*. appellatur. Quæ Sabbati vox male intellecta, fraudi fuit nonnullis, Judæorum moribus non innutritis, ut Sabbathum hoc, sive feriam anniversariam cum hebdomadali confunderent, crederentque, singulis Sabbathis cibus Judæos abstinere. His enim tantum abest, ut affligant corpus Judæi, ut potius, præeunte, ut ipsi quidem sibi persuadent, locum *Exod. XXIII, 12*. & id genus alia oracula perperam explicantes, ipso mandato divino, genio indulgeant, cibusque opiparis, beneque conditis cutem curent. Id quod vel ipsi *Plutarcho* observatum *L. IV. Sympos. qv. V.* conf. quæ erudite præter alios hanc in rem disputat *Buxtorffius* in Synagoga *Jud. c. XV. (†)* Nihil ceterum attinet, in copiosam rituum hujus expiationis festi discussionem excurrere, aut quæ huic festo cum aliis communia, quæ propria



pria erant, operose explanare, quippe quod argumentum ab instituto nostro alienum, & ab aliis multis, majori doctrina instructis, erudite est occupatum. Comp. qui nosse velit, Thalmudistas in tract. תומא, quem seorsim recudi fecit, nova versione instruxit, notisque doctissimis illustravit, eruditus inter Anglos scriptor, *Rob. Sberinghamius*, anno superioris seculi XLVIII, forma ordinis quarti, quemq; recudi fecit Cl. V. Jac. Rhenferdus Franek. 1696. 8. & Tomo II Mischnæ suæ illustratæ inseruit Cel. Guil. Surenhusius. Maimonides passim, tum in primis *R. Eliezer* in פירקין c. XLVI, laudatus a *VVithio* T. II. Exerc. p. 710, *Leydeckerus* de Rep. Hebr. *Fed. Spanhemius* Chronol. Sacr. T. I. Op. p. 75. *Th. Godwinus* in Mos. & Aar. L. III, c. 8. *Relandus* laud. p. m. 426. ut *Car. Bertranum*, *C. Sigonium*, *Cunæum*, *Zepperum*, *Spencerum*, *Jac. Rhenferdum*, & *Hochstetterum*, idem argumentum copiose explicantes, silentio involvamus.

(†) falsa illa erat Gentilium persuasio, Judæos Sabbati die corpus affligere, a quo errore nec ipse Imperator Augustus sibi temperare potuit ap. *Tranquillum* c. LXXVI. August. quando ita: Ne Judæus quidem, mi Tiberi, tam libenter Sabbathis jejunium servat, quam Ego. In eundem lapidem impingit, parum diligens rerum Judaicarum scriptor, *Justinus* L. XXXVI, c. 2. *Martialis* L. IV, Epigr. IV. qui propterea Judæos Sabbatharios vocat, quorum jejunio nihil pejus olere solet. Plane, ut gravem odorem in Judæis reprehendit *Marcus Imper.* apud *Marcellinum* L. II. *Histor.* & *Fortunatus* L. V. Carm. conf. *Voetium* T. II. *Ditput. Sel.* p. 89. Ex jejunio certe malum odorem derivat *Aristoteles* *Problem. Sect. XII, qv. 7.* Unde *Statio* *Comico*, aliisque Proverbium enatum: *Jejuna anima, jejunium olet*, de quo

quo loquendi modo *Junius & Cognatus* in Collect. Proverbiorum Wecheliana exponunt p. 516. *Juvenalem* tamen ארם nostrum Sat. VI intellexisse, & de Sabbatho Magno, *אף יִעֲזָבֵהוּ* ita dicto, fuisse locutum, non præter rem suspicatur *Braunius* L. I, c. III. §. I. de Vest. Sacerd. Alios ex Ethnicis in eundem lapidem offendentes, vid. apud *Casaubonum* in Animadvers. ad *Svetonium* p. 63. b. *Olearium* de *Stilo* N. T. p. 44 & *Schudtium* l. c. p. 135.

## §. VII.

Imo ad ipsos illos, qui, a cœtu Judæorum se juncti, in vesana plerumque securitate vivebant, ritus jejuniis gratiam Dei demerendi, dimanavit. Conscientiæ enim sensu convicti, quoties iram Dei malefactoris suis se provocasse, Numinisque proinde vindicatrici pœnas esse extimescendas, sentiebant, ad pœnitentiam, preces, aliasq; quibus pœnitentiam declarabant, cerimonias devoluti, illis a verruncari posse mala, superstitiose credebant. Ita cum *Romæ vis morbi per ignota capita esset evagata, inops Senatus auxilii humani populum ad Deos, & vota convertit*, tradente *Livio* L. III, c. VII. qui & alibi L. XXVI, c. IX pares matronarum ritus in periculo non dissimili, graviter, facundeque exponit. Cui jungendum svaserim *Polybium* L. IX, c. VI. *Ovidium* L. I. Trist. Eleg. III. ac nominatim, illustrem & πολυμαθέστατον *Ez. Spanhemium* in doctis observationibus ad *Callimachi* Hymn. in *Cerer.* v. CXXXIX. Nec aliis gentibus jejunii observatio infrequens fuit, quibus, sacra adituris, summa cura erat, a Venere, & vino, carnibusque abstinuiffe, mutuato procul dubio ritu a gente Judaica, ut fidem faciunt ea, quæ ab *Alexandro ab Alex.* L. IV. Gen. Dier. c. XVII hanc in rem pruden-

denter sunt disputata, in primis, quæ *Mercerus* & *Tiraquelus* in notis ad Eundem monuerunt. Ægyptios nominatim festis quibusdam diebus jejunavisse, testatur, gravissimus Auctor, *Herodotus* L. II, & IV. a quo non dissentit *Plutarchus* de *Iside* & *Osir*. At quod apud Athenienses in honorem *Cereris* erat imperatum, publicaque auctoritate munitum, solemnitatibus plane singularibus, observabatur. *Μεγαλάγνια* idem festum a *μεγάλοις ἄρτοις*, magnis panibus, circumferri solitis, alio nomine appellari, testis est *Semus* apud *Athenæum* *Δειπνοσοφ.* L. III, c. XXV. *Θεσμοφόρια* τὰ μυστήρια Δήμητρος, ἢ ὄνομα ἐορτῆς. *Hesychius*. *Svidas* T. II. *Θεσμοφόρια* ἐορτῆς ὄνομα p. 190. edit. elegantiss. *Lud. Kusteri*. Causas vero denominationis *Θεσμοφορίων* solemter, ut assolet, investigat *Jo. Gerb. Vossius* de Or. & Pr. *Idolol.* L. I, c. XVII. p. m. 132 & L. II, c. LIX. p. 622. In *Παναψιάνος*, mensis Attici, a *κυάμοις* in honorem *Apollinis* coctis, comestisque, & inde a *Sacris Apollini* *παναψίων*, vel *πανοψίων*, & *πανοψίων*, male *Παναψίας*, (*Πάνα γὰρ ἔψισιν ἐν ἀύταις*), uti notat *Svidas* T. III, recteque emendat *Lud. Kusterus*, Vir litteratissimus, p. 230. ita dicti, medium incidisse illud Atticorum jejunium, communis veterum traditio est. Quem mensem Septembri nostro respondere, præter alios, laudatos a *Cel. Fabricio* *Menol.* p. L, putat *Ant. van Dale* *Dissert.* VIII *Antiquitar.* At dissentit *Dion. Petavius* loco apud *Fabricium* p. LIII allegato, qui in Octobrem Romanum incidere omni asseveratione contendit, cui etiam ad stipulatur *Jac. Dalechampius* in *Observ.* ad Athenæi *Lib.* IX, c. XVIII. Nescio tamen, an firma fatis sit *Cl. V. Paulli Colomesii* sententia, quando in *Observat. Sac.* p. DLXXXIX *Op.* a *Cel. Fabricio* collectorum, Novembrem nostrum

substituit, quamvis difficile admodum esse videatur, in  
 tanta sententiarum differentia certo definire, cuinam.  
 Mensi Romano Atticus quisque respondeat. Diverſo  
 ceterum dierum numero Θεσμοφορία agitabant Græciæ  
 populi. Nam alibi novem, alibi trium, vel IV dierum  
 festum erat, notante ex *Hesychio Casaubono* in *Animadv.*  
*ad Athenæi* L. VII, p. m. 537. Inde obscurius est, quid fi-  
 bi velit *Athenæus* l. antea allegato, quando, μή τι ἡμεῖς, in-  
 quit, Νηστείαν ἀγομεν, Θεσμοφορέων τὴν μέσσην, ὅτι δὴν κατ' ἑρπον  
 νηστεύομεν, quem locum Casaubonus ita interpretatur:  
*An ἑ nos Nefteam, medium Θεσμοφορέων diem, celebramus,*  
*qvi instar mugilum ita jejunamus,* sensu prono, legitimo-  
 que, quem *Dalechampius* minus recte expresserat.  
 At quis quæso medius ille dies? confidentius *Paul. Co-*  
*lomesius* de Die XVI Novembr. explicat. l. all. *Quinto*, af-  
 firmat *Dalechampius*, quo mulieres a cibo abſtinebant,  
 forte quia novem dies illud festum durabat. Verum,  
 Atticis tantum tribus diebus celebrabatur, tradente *A-*  
*ristophane* in Θεσμοφορίαζ. Ergo ille forsitan relinquitur,  
 qvi primum & tertium intercedit, scilicet secundus,  
 quem ita Νηστείαν ab omnis cibi abſtinentia appellabant.  
 Facit huc *Aristophanes* in Θεσμοφορίαζ. loco, a *Svi-*  
*da*, & qui sua huic debet, *Phavorino*, egregio illo vete-  
 rum scriptorum compilatore, laudato: ὡς περ ἐν Θεσμοφορίας  
 νηστεύομεν ἀπὸ θυγατρῶν. Consona hisce tradit, elegantissimus  
 Scriptor, *Plutarchus*, *Chæronensis*, in pulcherrimi βίαν  
 Παρθένων Operis, *Demosthenic*. Minime vero instituti  
 ratio fert, ut altius tum causas, tum solemnitates hujus  
 jejunii repetamus. Conferat, qvi desiderio harum re-  
 rum tenetur, præter jam laudatos *Meursium* Græciæ  
 Feriatæ p. 142, 283, & alibi passim, *Joh. Potterum* in *Archæo-*  
 logiis

AD DIFFICILE PAULLI ITER. XXV  
logiis Atticis L. II, c. XIX seqq. & Jo. Philipp. Pfeifferum in  
Antiquit. Græc. L. I, c. 43.

§. VIII.

Hæc eo lubentius a me annotata sunt, ut simul  
judicium ferri in antecessum queat, an posterius Græ-  
corum, an vero prius illud Judæorum Lucas velit in-  
tellectum. Atticum illud jejunium scriptorem divi-  
num respexisse, vel inde veri speciem amittit, quod  
sermo ille nec *Paullo* loquenti, nec personis, quibus  
imminens periculum prædicebatur, nec tempori conve-  
nire, aut respondere videatur. Quamvis enim *Paul-  
lus*  
sacrorum Atticorum, & consequenter ipsius *θεομορφί-  
ων* festi neque ignarus, neque expers esset, qui Athe-  
nas adierat, resque Atticas propius inspexerat, in-  
de tamen tralata sententia uti non potuit apud Cen-  
turionem, hominem Romanum, sacrisque Roma-  
nis imbutum, aut comites, Christianæ religionis soci-  
os. Quamvis nautæ Alexandrini a Græcis, Alexan-  
driæ incolis, accipere potuerint. Cumque nec ex Græ-  
cia solverint, nec Græciæ littora legerint, neque tan-  
dem Græcorum navigio usi fuerint, illud relinquitur,  
ad aliam gentem, quam Græcam, hic indicem digitorum  
intendi. Nec obstat, Aristarchum fuisse Græcum, & a-  
lios *Paulli* socios, illis enim parendi Centurioni gloria  
erat relicta, & quæ causa, quæ ratio reddi potest? A-  
postolum de festo, multis flagitiis contaminato, aut mori-  
bus Græcorum, sordibus pessimis inquinatis, sibi-  
que vehementer improbatis, loqui voluisse. Quid?  
quod *Paulus* alias procul dubio causas adduxit, quæ  
melius Centurionem docere poterant, quas in com-  
pendium ut mitteret Lucas, non nautis, nec Centurio-  
ni,

ni, sed ad fidem Christi conversis, scripturus, una *Nysias* voce complexus est, expresitque. Imo vero ipsa temporis ratio obstat, quo minus ea nobis persvaderi patiamur. Demus enim Colomesio, acerrimo hujus sententiæ propugnatori, in *Observat. Sac.* p. 589. ed. Hamb. Op. d. XVI Novembr. jejunium illud Cereris esse celebratum, ita vero hæc navigatio in Decembrem incideret, quo tamen mare, vehementibus procellis commotum, prorsus omnem navigandi facultatem intercipere novimus. Quandoquidem ἡδη παρεληλυθέναι, jam ex aliquo tempore præteriisse jejunium, *Lucas* confirmat. Ut adeo *Ευεήματι* illi *Colomesii* non multum tribuamus, quamvis nonnullis id placuisse videam, qui pulchriorem operis fecisset, si asserti sui rationes attulisset alias, ut, quibus fundamentis conjecturam superstruxerit, compareret.

## §. IX.

Jejune admodum quidam, hic de jejunio Christianorum, eodemque Paschli, cogitasse Lucam, sibi persuadent. Quod jam Marci Evangelistæ temporibus in Ecclesia celebratum fuisse, persuasus fuit Eusebius H. E. L. II, c. XVII. ut monuit ibidem Valesius. Sicut idem innui putant nonnulli Constitutionū, quæ sub Apostolorum nomine circumferuntur, LXVIII. nec ignota est Epistola Irenæi, Sec. II de eodem argumento ad Victorium Romanum Episc. exarata. Verum tamen, ut taceam argumenta, quæ doctiss. Svicerus Thef. Eccles. p. 404. sqq. opinionioni nonnullorum, minus dextre in hoc negotio versantium, solide opponit. Id hic intelligi non posse, vel sola navigandi difficultas post jejunium Lucæ suboriri solita, evincit, quam tempori post Pascha convenire.

non

non posse, quis demum est, qui non videat? Potius hic de jejunio Judæorum magno, & anniversario, illustri- que, quod die Expiationis peragi solebat, eadem ratione, qua de Pentecoste hujus gentis Act. XX, 16. tradit *Lucas*, quo ultimo in loco qui sibi Pentecosten Christianorum reperisse visi sunt, egregie falluntur, detegente, pariter ac emendante errorem *B. Carveo* in *Primit. Chri- stian.* p. CCIV & post eum *Cel. Fabricio* in *Bibliogra- phia Antiquar.* p. CCCXXXVII. Hanc enim *νηστίαν* Centurio ex Gentis Judaicæ consuetudine cognitam, ex- ploratamque habere poterat, quem enim *הַכַּפּוּרִים* celebritas, in Judæa commorantem, præteriret? Imo & si ignoraverit, meminisse debemus, *Lucam* ex sua & *Paulli*, non Centurionis mente istam temporis notam adjecisse. Hinc *Syrus Interpres*, cujus maxima auctoritas est, diserte, & ad mentem nostram egregie, per Jeju- nium Judæorum, illudque *יָמֵי* vocem *νηστίας* judica- vit explicandam. *Josephus* passim per *νηστίαν* idem, de quo loquimur, jejunium intelligit. Recteque, ni fallor, *Erasmus* fuit observavum, religiosum jejunium per *νηστίαν* in- telligi, in primis cum plura in se complectatur, quam recepta scriptoribus *ἡς ἀσπίδας* vox. Consensum præ- stantissimorum Interpretum, eidem nostræ sententiæ faventium, vide *T. V. Critic. Anglic.* apud *Polum* in *Synopsi. Patrum* quoque quorundam apud *Jo. Casp. Svicerum* in *Thesauro Ecclesiastico*, libro doctissimo, p. 401 sqq. aliosque. Hoc vero jejunium cum fuerit κατὰ τὴν Μεσσηνιακὴν ἰσημεριάν, testante *Philone* adversus *Flacc.* hoc est, circa Æquinoctium Autumnale, seu idem il- lud tempus, quo *Pleiades* occidunt, ratio adest, quam ob rem hoc in loco *ἐπιφάλλος*, id est, Interpretibus *Suida*,

& Hefychio, *ρευσῆ, βλαβερῆ & ἐπικινδύνη ἡ πλοῦς* mentionem fieri videamus,

## §. X.

Id enim erat illud tempus, quod ob frequentes, subitæque procellas, ac imbres vehementiores, navigationem periculofam reddere, tum experientia confirmat, tum suffragiis scriptorum comprobatur. conf. si videatur, quæ *Steph. le Moyne*, in observationibus, bonæ frugis plenissimis, ad *Barnabæ* Epist. T. II. Var. Sac. p. 627. prudenter, & ex mente Veterum differit. Ita de tempore, quo Pleiades occidunt, circa quod *Νησεία* Judæorum Magna celebrabatur, confirmant *Apollonius* L. II. Argonaut. navigationem *πολυκλήη*, curis scilicet plenam, malorumque fecundam, & *Hesiodus* in eleganti Operum poemate v. DCXVII *ναυσιλήν δυσπέμφελον*, navigationem tempestuosam fore, quippe quo mare citra periculum transmitti nequeat:

ἔϋτ' ἂν Πληιάδες, θένος ὄβριμον ὤριων

Φεύγασαί πύπλωσιν.

*χαλάζας* in mari *μάλις* α *μεσοπορινῶ* γίνεσθαι, Auctor est *Aristoteles* Met. L. I. hinc *Philo de Legat. ad Cajum* ἐν ἀρχῇ *μεσοπώρ* licere quidem navigare asserit, at maturandum esse iter, cum mare diu non tutum sit, sed *ἑλευσίης* πλοῦς τοῖς θαλάσσι *θεύσει* reformidandus, scilicet idem *Philo*, quod nostro in loco *Paullus* subodoratus est, ἐπισφαλῆ εἶναι πλῆν, διὸ καὶ τὴν *Νησείαν* ἤδη παρεληλυθέναι. *Novembri* *Maria claudi*, docet *Vegetius* apud *Grotium* in h. l. *Ascræus*, jam supra nobis laudatus, experimentis commonitus, σπευδέον, inquit, ubi scilicet Autumnus imminet, v. 672. Op. laud.

σπεύδειν, ὅτι τάχιστα πάλιν, οἰκόν τε νεέσθαι,  
μήτε μένειν οἶνον τε νεόν, καὶ ὀπάρινον ἄμβροτον

καὶ



Καὶ χειμῶν ἐπιόντα, Νοτοῖς τε δεινὰς ἀήτας.

Quidni *Paullus*, expleto ferme Autumno, idem *Nautas* admoneret? pluviasque, & procellas ominaretur illa anni tempestate? quæ jam pridem *νησεία* fuerat celebrata, quæque eodem Auctore

Νότος ὁμαρτήσας Διὸς ὀμβροφ

Πολλῶ ὀπωρινῶ, χαλεπὸν δέτε πόντον ἔδεικν

ut alia Eiusdem Auctoris testimonia taceamus. *Herodem*, in Autumno *Alexandriæ* navim conscendentem, *Italiae* ora appulsuram, διὰ χειμῶνος, id est, tempestate continua *jaetatum*, impedimentis omnibus amissis, naufragium fecisse, gravissimus auctor est *Josephus* L. XIV, 23. prouti hunc locum recte exponit, *Eminentissimus* *Cenotaphiorum* *Pifanorum* interpretes, *Henr. Norrissus* *Disp.* II, c. V. adde si videbitur, *V. Cl. Jo. Clericum* T. IV, *Bibl. Sel.* p. 35. sqq.

### §. XI.

Præclare præterea sententiam nostram confirmat *Philostratus* in vita *Apollonii* L. IV, c. IV. quando ita: ἡ θάλασσα ἦτον βεβαία, καὶ γὰρ μετοπωρινὸν ἦδη ἐτύγχανεν. θάλασσα βεβαία, πλὴς ἀσφαλῆς, καὶ ἦτον βεβαία, ἐπισφαλῆς, plane ut loquitur *Paullus* in h. l. Si qua ceterum sunt, credo autem esse multa, hanc in rem *Veterum* suffragia, ea nolumus copiose excutere, quibus sufficere, vel paucissimis μετοπωρινῶ, cujus toties mentionem fecimus, tempus accuratius definiisse. Utemur vel solo *Phavorini* *Camertis* testimonio, ne res cumulare otiose videamur, qui vocem *φθιναπορὸν* per τροπὴν μετὰ τὸ θέρος explicat, distinctiusque ita exponit, ut ἀπὸ τῆς πέντε καὶ δεκάτης κυβήσμωνος, ad ipsum *Domini* *Natalem* procedere faciat. *Consentanea* illi habet *Sextus Empiricus* contra *Mathemat.* L. I,

C. 5.

c. V. quæ si cum tempore יום הכפורים componas, habes affertorum nostrorum rationes. Φθινοπωρὸν & μεταπωρινὸν eundem anni articulum vocant Scriptores, quæ observatio forte lucem fœneratur Epist. Judæ, c. XII. quo falsi doctores δένδροις Φθινοπωρῶσι comparantur. Nam sicut arbores esse dicuntur, qui amissis gravitate aeris foliis, nihil amplius grati oculis exhibent, quam significationem b. *Lutherum* secutum video. Nisi in interpretatione Syri acquiescere malis, qui vertit: quarum fructus emarcuit. bene, ni fallor, descendente voce ἀπὸ τῆ Φθίνειν τὴν ὀπάραν, a corrumpendis fructibus, ut docet *Phavorinus*, & *Etymologicum M.* qui prior per νόσον, Φθίνεσαν ὀπάραν, recte circumscribit.

## §. XII.

Habes. B. L., quæ ad explicationem verborum Act. XXVII, v. 9. facere, nobis visâ sunt. Pulchri res operi esset, si de anno, cujus tempus vidimus, negotium ita esset confectum, ut nihil contra regeri possset. Verum μέγαν λίαν αἴτημα, quod prorsus non attingere, quam parum recte excutere præstat. Si qua ceterū vel erronee, vel oscitanter dicta, Tibi videbuntur, dabis veniam, tum festinanter, tum imperite scribingentibus, addo etiam, a præfidiis, legitimis illis quidem, idoneisque, maximam partem destitutis, quibus, ad excusationem excitasse, suffecerit illud *Antonini Philosophi* L. I, §. 7. Εἰς ἑαυτόν:

Ἰφελῶς γράφομεν, ἵνα μὴ ἐτραπήναι εἰς ζῆλον σοφιστικόν, μηδὲ τὸ συγγράφειν περὶ θεωρημάτων, ἢ φαντασιοπλήκτως τὸν ἀσκητικὸν ἀνδρα ἐπιδείκνυσθαι.

TANTUM!







AB: 153257

ULB Halle 3  
003 122 484



8

R


V017





11





26

D. B. J  
AUSPICIIS RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI  
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI  
DN. FRIDERICI WILHELMI  
PRINCIPIS BORUSSIÆ, ET RELIQUA

# ECLOGAS ARCHÆOLOGICAS

AD  
DIFFICILE PAULLI ITER

Act. XXVII, c. IX

Kl. Octobris

A. R. G.

∞ MDCCXIII

PRÆSIDE

M. PETRO ADOLPH. BOYSEN

ASHARIA - SAXONE

DISSERENDO EXCUTIET

RESPONDENS

Wolfgang Thien S. Th. Stud

MÆTLITZENSIS - MAGDEB

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ  
Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typ

28.